

persona manifestans dicitur *narrator, historicus &c. et ejus magisterium narratio &c.*

Testis. Qui propriam cognitionem alteri sive affirmando sive negando communicat.

Factum. Aliquod quod testis sensu cognovit.

Dogma. Propositio doctrinalis, qua nempe significatur hominis alicujus, vel scholae persuasio de re scientifica, quaeque ut demonstrata aut facile demonstrabilis accipitur. "Sapientia, ait Tullius, neque de se ipsa dubitare debet, neque de suis decretis, quae philosophi vocant dogmata." (Quaest. acad. IV, 9.) Haec philosophice, nam dogma religiosum definitur: Veritas a Deo revelata, et ab Ecclesia pro tali declarata.

Fides. Mentis assensus alicui veritati neque in se immediate neque in suis principiis, intrinsicis manifestae, sed in principio extrinseco, quod est auctoritas dicentis.

Scientia. Si ponatur pro *visione*, est: Assensus mentis veritati vel immediate manifestae, vel manifestae per principia intrinseca ex quibus derivat.

Si *proprie* dicatur, est: Cognitio certa veritatis per demonstrationem deducta. Scientia est proprie conclusionum, non vero principiorum; horum namque est *intelligentia*.

Auctoritas. Id quod testi fidem conciliat, vis quam habet testis movendi nos ad assentiendum dictis suis. Ita Deo loquenti assentimus, *propter* infinitam ejus veracitatem et scientiam.